

17

LUXVM GERMANORVM
XIII. PHILOSOPHIAE ET ARTIVM CANDIDATIS
QVI MAGISTRI RENVNTIANTVR

RECTORE MAGNIFICO
D. IOHANNE THEOPHILO SEGERO
SVPR. IN PROVINC. CVRIAET COLLEG. IVRIDICI
ASSESSORE INSTITVTIONVM IVSTINIANEARVM
PROF. PVBL. ORDIN.
PROCANCELLARIO
GEORGIO HENRICO BORTZIO
MATHEMATVM PROF. PVBL. ORDIN. COLLEG.
B. MARIAE VIRG. SODALI

DECANO
HENRICO GOTTLIEB FRANCKIO
PHIL. ET I. V. D. SACR. PALAT. COM. MOR. ET POLITICES
PROF. PVBL. ORDINAR. IVRIS PVBLICI EXTRAORDIN.

SOLEMNI CARMINE PROPONIT
CAROLVS ANDREAS BEL D.

D. V. MARTII A. C. N. CICIOCLXXII.

LIPSIAE
EX OFFICINA BÜSCHELIA.

*In Augmentum
obstult Auc
1772.*



LAUREM CHRMNGVAT
XII. PHILOSOPHIE ET ARTHYM CANDIDATIS
QVI MAGISTERI REINANTIAE
REGATORIE MAGNITICO
D. IOHANNI THEOPHILO SEGERO
SIVE IN PLATONE CARMI ET COFEC TURDICE
ASCENDENS ET DESCENDENS ET TRANSVERSALIS
TNOB. EATI ORBIS
TROGNYCETVRIO
GEORGIO HENRICO DORTSIO
WILHELMATAM TROPOL. PAPE ORDINI COFFEE
E. MATTA ETC.
DEGENO
HENRICO GOTTLIEB FRANCIO
CAROLUS ANGELVS ETC.

DI. A. MATEI. DE MUSICO

LIPSIENS

EX QVILLIS SILENTIIS

LVXV GERMANORVM.

Hi sunt Germani, quorum pellita vetustas
 Romanas fregit de queru cuspede vires?
 Heu! quantum Soboles diuersa parentibus! Illis
 Arbor quaque domum, vestem dat quilibet vrsus,
 Glans leuat esuriem, rigat vndaque gutture siccos;
 Gloria libertas, et libertatis acutus
 Propugnator erat gladius, nec quisquis honestus,
 Pauper habebatur; non multa petentibus extra
 Nil externorum deerat, nemo nisi seruus
 Et nebulo miseri. Quo nunc quaequieris orbe
 Eius progeniem virtutis? Nominis haeres
 Commemorat, fateor, patulae sub tegmine fagi
 Coenantes patres, conuiua sobria narrat,
 Et rigidos mores, superataque praelia belli;
 Ipse sed interea, dum paupertate beatos

IV

Maiores iactat, feseque hoc sanguine natum,
 Aedibus in nitidis, Veneri Bacchoque sacratis,
 Difflit vnguentis et nato trans mare vino;
 Cuncta domi luxus regit, idem cuncta forisque,
 Luxus, quem stupeant Caii stupeantque Nerones.

*Nonius aedificat; surgit de marmore moles
 Splendida Toscano, non, ac si nulla fodinae
 Marmor Germanae gignant albedinis aequae,
 Sed miserum est, quam venduntur contermina flocci:
 Sumtibus immensis quod saxum transiit Alpes,
 Hoc magis est saxum, magis admiratio vulgi.
 Intus, quo vertas oculum, pretiosa supellex
 Praedicat ingenium mundi, quid et Indus et Afer
 Arte queat, quantum Gallus mercator et Anglus
 Stultitiam nobis peregrinam vendere norint,
 Atque suas numis nostris grauidare crumenas.
 Cui tandem aedificat regales Nonius arcēs
 Aut diuo, aut regi? Nihil horum; callidus auceps,
 Quos aus esuriens serum constringxit in usum
 Armatos Belgas miseratus, soluere vincis
 Praeparat, hinc alta suspendit ab arce nepoti,
 Vinctorum domino, pinguem, quam mordeat, escam,
 Inter lo laetum iuuenis paterasque dapesque
 Regales, tantum succrescere censem honoris,
 Quantum decrescit loculis; hinc quidquid inhaeret
 Excutit e faccis; quid? si non sit satis? aeger
 Discedet? Bona verba! yafer nam credit honeste
 Quae pro simplicibus mox duplicitia exigat hospes.
 Hoc habet a patribus, quos vna regebat honestas,*

Aemu-

Aemula posteritas, vt nunc, qui tempus opesque,
 Et longae perdit spem vitae, perdat honeste;
 Foenore qui viuit, qui furto, quique rapina,
 Et vitiis iuuenum, (mirabile!) viuat honeste.

Virtus virtutem gignit, sic nascitur vno
 Ex vitio vitium, semper crescente catena.
 Exquisitorum terraque marique ciborum
 Ambitiosa fames, non aequum est veste tegatur
 Communi, cultum quis sutorisue fabriue
 In mensis toleret regalibus? inter honestas
 Ex ostro tunicas turpem de vellere panum?
 Vile sit ingenium, mores nulli vel agrestes,
 Panditut introitus, vestem modo finiat aurum.
 Inde noui sumptus, contenditur vndique cursu
 Ad fabricas auri, rogit alter et obsecrat, ingens
 Pollicitus lucrum, numis adipiscitur alter
 Facturas hominem subito de stipite merces.
 Iam quae plaustra viae capiunt duo vel tria, mirum,
 Quam sint angustae spatiantibus! orbe putaris
 Continuo Veneris dulces incedere pupas,
 Tam male procedunt, praesertim si vel amicam
 Vicinam olfacent, vel decipiendus honeste
 Creditor ante fores oculis comitetur eentes.
 Sic satis instructis, vel compotetur in vrbe,
 Saltetur ruri, vel colludatur in hortis,
 Panduntur portae, nudato proslit hospes
 Vertice, tantorum gratanti voce virorum
 Accessum celebrans; puerorum conuolat agmen,
 Instruit hic mensas, subsellia collocat ille;

A 3

Quid

Quid vini placeat, quid lusus, quidque ciborum?
Auribus arrestis rogitant, et iussa capessunt.

Auri mire nitor, quam scis seruile repente
Nobilitare genus, quam rerum vertere formam!
Qui piscator heri, qui fullo, tenebrio, mimus,
Maecenatem vna cum vestibus induit hora.
Tota stupet caupona virum, ceruice clientes
Stant centum curua, crepitanti adsurgitur auro,
Itur in amplexus, vt quotquot pocula Baccho
In mensis spumant, totidem per guttura, sanctum
Foedus amicitiae plenam descendat in aluum,

Mirabar his heri *Rufum*, cui non satis ostrum
Splendeb. simplex, nili contegeretur et auro,
Cuius et vrgebant vestigia passibus aequis,
Tanta elati sorte, pedissequus unus et alter;
Ex aula quemquam, populi quo cura salusque
Fulcirentur, eum, seu qui virtute Camilli
Soluisset dira patriam obsidione, putabas,
En ades! in cistis hodie componitur heros
Rufus: in hac tunicae, rutilansque galerus in illa,
Adspicis hic gemmas, atque illic Flandrica lina —
Vestes, non hominem video. Recte; attamen haec est
Maxima pars hominis, nihili, quod restat, habendum.
Si tamen est illud reliquum spectare lubido,
Demonstrabo. Videsne sinistra adstare taberna
Accinctum lumbos hominem velamine fusco,
Forfex in dextra est, laeva piperisque cucullos
Glutine compingit, numerumque indumenta?

Hic

Hic est ille tuus seu Scipio, siue Camillus
 Hesternus; qui hodie piperis tria grana duobus
 Extrudens obolis, patriae sustentat honorem.
 Heu! quae magnorum sunt haec simulacra virorum!
 Sed redit, en! animus. Non hic, pulsatur euntis
 Quo femur, est gladius? Tandem te, Teuto, nepotem
 Dignum conspicio patre, quem procedere tecdis
 Non pudet armatum. Cessa laudare parumper,
 Donec ab anteriore hominem videoas quoque parte.
 Hei mihi! nam Charitum labor est non Martis habendus
 Hic capulus; variis quid vincula nexibus ensim,
 Quidue volunt picti, pretiosa crepundia, flores?
 Ita virum deceant? — Nondum scis omnia, nares
 Admoueas, quaeſo, quid sternutare minaris?
 Tota (malum!) redolet pastillos machina, cinctum
 Hamum virginibus video, non hostibus ensim.
 Quis princeps tandem, meritum miseratus, inanem
 Ad mimos ſpeciem, meretricum ad turpia fucum
 Lustra relegabit? luxum priuabit honore?
 Sed quid, Musa, tibi cum vano, garrula, cultu?
 Fragrantem Hermanno gladium, piper atque Camillo
 Linquē ſuum, mimis ac Maecenatibus aurum;
 Ne tua regna, vide, luxus quoque talis inundet,
 Qualis agros, hortos, aedes tot ſubiicit haſtae.
 Si placet, auctorum libros euolute tuorum,
 Tres lege pagellas; vix major regnat in vrbe,
 Ac ibi bellarum ſine re laſciuia vocum.
 Plenus imaginibus liber est et acumine multo,
 Suntque manu larga ſparſi ſuper omnia flores

Inge-

VIII

Ingeniique sales, sed tolle vocabula, vestes,
Aut nihil, aut monstrum superabit corporis illis.

Hancce, *Viri iuuenes*, Phoebi qui castra secuti
Praemia nunc merito gestatis debita, laurum,
Temptite luxuriam, rebusque abstergite fucum.
Esto suus verbis honor, esto oratio compata,
Tinctaque, si dederit mater natura, lepore.
Nec, qui barbariem vobis commendet in aurem,
Ut sutor soleas; cui tanto plenior est re
Quanto plus mendis cumulatus sermo, proberetur.
At nec verborum splendentes vndique panni,
Vilibus adsuti rebus, placeant magis atque
Fictilis aurata frigens sub veste puella.

CHRI-

CHRISTIANVS CONRADVS CLAVS

MILDENAVIA MISNICVS,

Sacris faciendis in urbe Zahna Diaconus.

Scripsit de vita sua ad me Vir plur. reuer. his verbis: Natus sum anno Seculi XL. Mildenaviae, qui vicus est in montibus Saxoniciis propter Annaebergam, patre Christophoro Conrado, molenda Cerere vitam honeste trahente, matre Catharina Elisabetha Flatia. Domi ab iuente aetate liberaliter educatum, inque ludo patrio primis et religionis et litterarum rudimentis imbutum, ingenio indulgens pater, misit Annaebergam, ut inter eisdem oppidanis Lycei alumnis. Paulo post decedit pater, sicutque tum aut studium litterarum deserendum, aut tali matre opus, qualis mihi contigit; eius et beneficio factum est, ut VIII. annis integris Annaebergae proficerem in bonis litteris, usus praceptoribus primum Müllero, Scholae correctore, rectoribus dein Richtero, nunc Zittauiensis, et Martini, Ratisbonensis Gymnasiorum decoribus, Viris laude dignissimis, sed meliori quam mea. Fautores praedico eius loci praecipuos S. Reu. Gloecknerum, Annaebergensium nunc Antistitem, et Cl. Kemna, classium vni scholasticarum praefectum, quorum alter doctrina priuata constantique benevolentis, alter consilio et amicitia adiuuere parente orbatum. Absoluto studio scholastico, instruatusque quantum satis videretur praceptoribus, Lipsiam me contuli, Theologiae in primis operatus, sumque ciuitate Academica donatus a Belio Academiae rectore, Annus erat p. C. n. c 1313 CCLXI, Philosophiam, cui discenda statim adhibui operam, vniuersam, accepi a. b. Winklero, in singulis eius partibus, velut dialetica et mathematica, maiorem lucem debebo Belii scholis atque Borzii. Hebraica Dathius tradidere et Schroekhius, morum et Rhetoricae pracepta Gellertus, antiquitatem sacram, immo et Angliae linguae initia, Klausius. Historiae sacrae, omnisque Theologiae, tum docentis, tum interpretantis, praceptorum vnum habui, et habuisse gaudeo, Ernestum. Quibus viris omnibus, quum laus mea sit nulla, saltem gratum ainnum liceat tabella haec testificari. Exacto nondum Lipsiae biennio, quum angusta domi res esset, accidit felicissimo auspicio, ut in familiam (dixerim) adoptarer ab Ill. Belio, studiorum filii socius ac

B

mode-



moderator; qua prouincia **vii.** annis administrata, tandem ita decessi, ut etiam nunc absens patrem in patronis, filium in amicis, primos habeam Lipsiae, semperque habiturum me sperem. Intra posteriores hos vitae Academicae annos, (quis fuerit tantum est,) scripsit M. Iustus Fridericus Froriep libellum *de virtute Linguae Arabicae in defendendis nonnullis locis* **xxviii**, quem, adscitus ab auctore in subsidium, ex cathedra Philosophorum defendi, quantum a me talis scriptio posset. Commemoranda res videbatur magis auctoris causa, quam mea. In multis, (e diuerticulo reuertor,) Ill. Belii, magnisque beneficiis, quorum enumeratio longior foret, non minimum fuit, quod me commendaret in clientelam Perill, Globigio Ser. Elect. Sax. a Consiliis interioribus, sacrisque per Saxoniam regundis praefecto; cuius summi viri ut in vniuersum beneficentia mihi praedicanda est, ita eius potissimum auctoritate factum, ut ante hos duos fere annos constituerer V. D. Diaconus apud Zahnenenses, quo munere iam fungor. Anno proxime praeterito, ex voluntate nobilissimae virginis Ortlobiae, stipendio Grossiano ornatum, me Inclutus Philosophorum Ordo Lipiensis, rite rogatus, Magistrum Artium, editis litteris publicis, declarauit.

**IOHANNES ADAMVS GOTTLIEB KIND
WERDA MISNICVS.**

Natus Werdae, ad Plissae fontes, anno Seculi huius **XLVII.** patre probo ac honesto, Iohanne Gottlieb, matre Maria Magdalena Oberlaendra, primas litterulas didicit in ludo eius opipidi, Zirklero, Goetzio, Halbauero, Engelmanno praceptoribus, e quorum disciplina transiit in scholam Grimanam, cuius electorali beneficio, annis fere sex integris, alumnus fuit. Vsus hic est institutione publicorum doctorum omnium, Krebsii potissimum et Mükii, cuius benevolum et quasi paternum in se animum fatetur se pro dignitate laudare non posse. Inde dimissus venit ad nos anno **LXVIII.** rectore Boehmio, iam ante ciuium academicorum numero adscriptus, Winklero rectore, anno **LXVII.** Hunc ipsum mox Philosophiae vniuersae doctorem secessus est, quemadmodum studiorum humanitatis Ernestum: historiae catholicae causa Burscherom; ut morum doctrinam edoceret, Gellertum adiit. Sed cum se Iuris scientiae dedisset, ad Iuris

Iuris consultorum scholas transiit, usus potissimum Sammeto et Breuningio, in omni iure, doctoribus; nisi quod criminale Zollero, Hommelio canonicum, huic et Geislero beneficiarium, Franckio ius publicum Imperii Germanici, debere se gratissimo animo fateatur. Laudat praeceptorum omnium benevolentiam, Franckii imprimis, cuius amicitiae et consuetudini multum debeat. Iam ut causas agere in foro posset, non solum Cleemannio Doctore Praeside, de feudo pecuniariorum dissertationem publice defendit, sed etiam rite tentatus, ab incluto ICTorum ordine Baccalaureus Iuris creatus est. In Patronis hic Lipsiae numerat Kindum in primis, Iur. Doct. et causarum celebrem patronum, Patrum suum, quem ait, toto vitae academicae curriculo, re et consilio sibi adfuisse, sequere adeo parentis eum loco habere, semperque habiturum. Nouissime et Seydlitium Patronum natus est, cuius commendationem magna sibi commoda attulisse gratus prae-dicat. Anno proxime praeterito, tentatus pro more, honores philosophicos, proposito publice diplomate, consecutus est.

FRIDERICVS HENRICVS MAXIMILIANVS KERSTEN
DRESDENSIS,
Iur. Baccal. et Aduoc. immatricul.

Hic Dresdae natus est anno M D C C X L I X . patre Carolo Andrea, Sereniss. Elect. Saxoniae ab expeditionibus bellicis, matre Friderica Benedicta Welleria, cuius vtriusque parentis optimi studium in se collatum, pia mente, omni tempore se veneraturum sponder. Posteaquam mature in paterna domo litterarum et religionis elementa didicisset, undecim annorum puer mis-sus est a patre in prouincialem scholam Misnensem, vbi non solum praeceptorum solerti institutione, sed etiam ill. Ferberi munificentia, quam laudat, integro sexennio usus est. Inde ad hauc Academiam accessit anno L X V I I . Wincklero rectore, cuius mox philosophicas et physicis institutionibus interfuit. Adfuit etiam Gellerto et Seydlitio ethicae, et stylis germanici causa. Tradentem philosophicam historiam Clodium, Ciceronem interpretantem Ernestium, Bortzium mathemata praelegentem, diligenter audivit. Mox ad Iuris scientiam, cui animum addixerat, con-versus, omnem eius ambitum, Schortio, Richtero, Zollero, Segero, Hommelio, Franckio denique praeuentibus, emensus est.

est. Boehmio historiam et Ius publ. Imp. germ. sed etiam multa alia benevolentiae et fauoris documenta debet. Subinde comes electus studiorum generosissimi adolescentis Metschii, in huius societate Cleemann, quo familiariter vsus est, Pandecten interpretanti, et tentaminibus repetenti, adsedit. Eodem Praefide nro LXX. de mutuis petitionibus libellum e cathedra iuridica defendit, estque mox ab eo Ordine Iurium Candidatis accensus. Iam foro operam daturus, conciliavit sibi primariorum in hac Lipsiensi praefectura virorum, consultissimi Blümneri et Creutzigeri, benevolentiam, quorum consuetudine atque institutione quantum profecerit, fatetur se eloqui pro dignitate non posse. Laudat praeterea Henrici Caroli Reinhardi, ex Consistor. Lipi. Protonot. patrocinium, multaque, quae gratissimo animo agnoscit, beneficia. Iam, postquam esset principali decreto in Aduocatorum numerum relatus, Dresdam rediit. Atque hic Patronum inuenit primarium, Illustriss. Bar. de Gutschmidt, cuius tanta in se esse tamque insignia beneficia, quod liberalem atque gratum animum decet, ingenue fatetur, vt quod primum, quaeque deinceps commemoret, nesciat. Pollicetur autem istorum beneficiorum non intermorituram memoriam. Anno proxime praeterito, comes studiorum datus illustrissimo Comiti a Cosell, cum hoc rediit Lipsiam, estque boni omnis causa, a Facultate Artium, Philosophiae Magister, e valuis publicis, exeunte anno declaratus.

GEORGIVS CHRISTIANVS HECK
ONOLDINO FRANCVS.

Patre Iohanne Laurentio, Musico, matre Susanna Creutzburgia, Sommerhusana, natus Onoldi anno Seculi praeSENTIS XXIV. educatus a parentibus liberaliter, reliquit tandem patriam, vt in Orphanotrophio Halae Saxonum litterarum studiis vacaret. Exactis illic annis septem et quod excurrit, petuit lenam, in qua studiorum Vniuersitate, tribus annis, theologiae operam dedit, vsus potissimum Walchio, Tympio, Brumhardo, sacrorum dogmatum, historiae ecclesiasticae, theol. hermeneuticae atque exegeticae, linguarumque orientis causa, doctoribus. Inde in patriam redux, annis aliquot adolescentum institutioni vacavit, in primis in Dynastia Castellensi, Mox Argentoratum delatus, non ibi solum,

solum, sed et Buxouillae, eodem munere fundus est. Vocatus deinceps in Liuoniam, neque hic discessit ab instituto suo, quin in praediis Nobilium eius Prouinciae iuuentutis animos litteris et moribus imbuueret. Ita exactis annis duodecim, per eam occasionem hanc Academiam bis adiit, in qua etiam nunc versatur. Anno hoc ineunte petiit honores nostros, estque iis, superato tentamine, publicato diplomate condecoratus.

CHRISTIANVS SIGISMUNDVS GVLIELMVS HAVPTMANN
GERANVS.

Hunc Pater, Iohannes Godofredus, Th. D. et Gymnasii Gerani Director, Vir doctissimus, suscepit e coniuge Anna Eleonora Lucia, gentis Doehleriae, anno M D C C X L I X . Primis annis pueritiae, ipsum patrem praeceptorem habuit, venientibus in societatem instituendi Directoris filii Lorenzio, et Wendlero A. M. Nouenarius frequentare gymnasium coepit, vsus doctoribus iis omnibus, qui eo loco merent; in quibus laudat in primis institutionem patris, Pfeissleri deinceps, et Zeibichii, e quorum disciplina, post decennium transit ad nos, inter Academiae ciues relatus iam A. M D C C L X V . Pohllo rectore. Ante vero quam a patre discederet, eius dissertationem *de Demade* in Gymnasio ventilandam publice proposuit, quam deinceps Reiskius V. Cl. inseruit Orator, graecor. Volumini IV. Iam hic Lipsiae patronos habuit praeceptores atque doctores, quibus vsus est, omnes; prae ceteris tamen laudat Pohlum, cuius hospitio continetur inde a quadriennio, multis magnisque benevolentiae documentis ornatus. Studiorum hunc ordinem tenuit, ut vniuersae philosophiae causa Winklerum, mox et Crusium adiret, in morum doctrina Gellertum, Bortzum in mathematicis sequeretur. Inde ad facrorum doctrinam conuersus, profecit doctoribus Crusio, Ernestio, Richtero, Stemlero, Bosseckio, Schmidio denique. Concionandi artem praeiuere Bahrdtius, Stemlerus, Hebenstreitius. A Stemlero, ait, se pastorelam prudentiam, cum iurisprudentia ecclesiastica coniunctam, a Crusio theologiam propheticam, catecheticam a Fritschio, patristicam denique a Burschero didicisse. Inter haec et Seydlirio adsedidit, cum Squirium de religionis christiana veritate illustraret; Hebenstreitio, polemicae theologiae capita proponenti, disputanti item contra profanos Crusio, Lin-

guae Hebraicae et graecae scientiam Stemlero debet, Boisseckio, Moro; Richtero antiquitates iudaicas. In omni historia Ernestum fecutus est et Burscherum: ut repeteret quae didicisset, atque disputando acueret ingenium, tentaminibus Stemleri, Richteri, Seydliti, Hebenstreitii interfuit; neque neglexit Gellertianas paelectiones super formanda iuuentute, aliasque super litteratura Germanica.

CAROLVS TRAVGOTT THIEME
CANITIO MISNICVS.

Natus est a. M D C C X L V. Caniti, prope Ossium, parentibus Theophilo Israele V. D. M. atque Eva Elisabetha Franckia, in quorum societate, cum pater Boritium euocaretur, natale solum quadrimus reliquit. Cum pater esset in re tenui, putare que, sapere adolescentes sine multa pecunia non posse, malebat filium cuius arti potius, quam litteris dicare; igitur domestico praceptorri instituendum tradidit, a quo religionis et litterarum elementa disceret. Sed tantus erat in adolescente amor sapientiae, ut vietus tandem pater filii precibus, hunc in prouincialem scholam Misnenensem mitteret. Erat eius alumnus annis quinque continuis, in Hoerii, Weisii, Klimmii, potissimum autem Cleemanni et Schregeri liberali disciplina, quorum in se instituendo fidem, multaque beneficia, gratissimo animo agnoscit. Lipsiani inde delatus a. L X V I. me rectore, coepit ita nauare operam litteris, ut quam scimus sensisse, eam extinguqueret, neque poeniteret iam patrem consili. Orsus ab humanioribus litteris, Ernestio operam dedit, subinde Crusio et Hebenstreitio in Theologiae partibus. Interea moritur pater, quem hoc magis lugere filium oportebat, quod ea mors summam rerum omnium inopiam ei adferreret. Facetur ingenue, se tum demum, quam difficile sit ferre paupertatem, didicisse. Iam igitur puerorum institutione comparandum omne id fuit, quod vieti sufficeret, litterarum studia succisiis horis, et fere nocturnis, continuanda. Tribus annis ita vixit, sed cum iactura sanitatis. Tamen, quoad licuit, Bahrdtii, Thlemani, Gellerti scholas frequentauit eo tempore. Tandem, omnibus omnino necessitatibus destitutus, discessit Lipsia, atque primum Dresdae, in illustri Nizschwitia domo, mox Stolbergae in Misniae montanis, apud Hoeknerum mercatorem, liberorum insti-

institutioni vacauit. Hic atrox eum morbus inuasit, e quo post aliquot demum menses eluctatus est, fractus animo et viribus. Tamen iterum litterarum amor eum ad nos duxit, vt interpretandi artem ab Ernestio, a Funkio mathesin, a Prof. Eloqu. Ernestio denique latinae linguae facilitatem per disputationes disceret. Huius viri doctrinam non minus, quam humanitatem atque benevolentiam, quam quotidie expertus sit, cum gratissimi animi tessificatione, magnopere laudat.

CHRISTOPHORVS HENRICVS NESTLER
LIPSIENSIS.

Natus a. M D C C L. patre Georgio Christophoro, Senatus Lipsi viatore, matre Io. Rosina Krebsia; quibus, quam liberi parentibus pietatem debent, hac magis ipse debet, quo studiosiores in se recte educando fuerunt atque religiosores. Mature, ait, se priuatis doctoribus, mox deinceps Thomanae scholae magistris traditum in disciplinam fuisse. Laudat in his Krigelium, Hofmannum, prae caeteris tamen Fischerum, rectorem, et humanior litterar. Professor. celeberrimum, de cuius institutione atque benevolentia vehementer laetatur. Meminit etiam fratribus sui, quem in ipso vitae adparatu vita destituit; huius, in se ad virtutis et litterarum amorem formando, diligentiam tantam fuisse, sibique tam fructuosam, vt etiam propterea sancta sibi eius memoria omni vita futura sit. Habet etiam magnam gratiam Hebenstreitio A. M. qui mortuo fratre, quem mire dilexerat, in magnam partem curarum sponte venit, summaque fide atque benevolentia studiis eius adiuit. Anno M D C C L X V I I . ciuibus academicis adscriptus, Patronum illico expertus est Illustriss. Baronem de Gutschmidt, cuius benignitatem atque liberalitatem pro dignitate se laudare non posse fatetur. Humanitatis studia, Moro atque Hebenstreitio ducibus prosecutus est. Philosophise ambitum omnem, in Crisii scholis, mox Pezoldi, emensus est: Rhetoricam accepit a Moro, Theologiam dogmaticam et moralem a Crusio et Bahrdtio, Viris de se optime meritis, quibus adeo magnopere obstrictus est. Intersuit etiam praecellionibus philologicis ab Ernestio et Moro in Libb. N. F. institutis. Hebraica didicit a Dresdio, Hebenstreitio, Bossekio; Historiam catholicam a Burschero; homiletica praecepta a Crusio, Richtero, cuius egregia in se merita commemorat,

XVI

morat, Moro, atque Hebenstreitio, disceptandis per colloquia quaestionibus, adfudit. Anno proxime praeterito Hempelio adfuit, cum ille de bona Voluntatis ad intelligendum Verum necessitate, de cathedra philosophica publice praecepiteret. Ceterum tutoris etiam sui, Salbachii, viri integerrimi, fidem atque benevolentiam gratus agnoscit, spondetque non intermorituram memoriam.

CHRISTIANVS GOTTLORI HEMPEL
HORBURGO MISNICVS.

Horburgi, in Mersburgensi agro, hic natus est a. huius aetatis **XLVIII.** patre Iohanne Andrea, A. M. eo vico sacris curandis praefecto, matre Iohanna Sophia Schubarthia. In paterna domo primum institutus est ab idoneis praeceptoribus, e quorum disciplina misit eum pater in Ludum Mersburgensem a. aetatis **XII.** in quo vacauit studiis litterarum annis fere septem, Hofmanno, Kupfero, Berthio, Graunio, Burkhardio praeceptoribus, qui, vt gratis commemorat, eum hebraica, graeca, latina, litteras item elegantiores, ita docuerint, vt moiore cum fructu posset deinceps in Academia versari. Accessit ad eam anno **LXVII.** scriptus inter ciues Bahrdtio rectore. Hic primum omnium audiuit Ernestium, theologica, historica, rhetorica praelegentem; sed etiam Seydlitum atque Gellertum, hunc moralis doctrinae et litterarum Germanicas, illum artis cogitandi causa. Clodio, ait, se, vt auctores veteres latinos interpretari disceret, dedisse operam; Hebenstreitio, sacrorum doctrinam proponenti. Iam ab his venit ad Crusium, cuius scholis omnibus, philosophicis atque theologicis, diligentissime interfuit. Burtscherum quoque audiuit sacrorum historiam et philosophiae traditatem: Schmidium denique, in metaphysicis praelectionibus. Doctoribus his omnibus debere se plurimum ingenue fatetur, spondetque gratissimam atque diuturnam istorum beneficiorum memoriam.

CAROLYS GUILIELMVS DASSDORF
STAVCHITIO MISNICVS.

Natus anno **M D C C L.** patre Godofredo, cognitore caniculari de cursibus publicis, Merseburgi: matre Amalia Dorothea, e gente

e gentē Weinertia. Prīmis annis domi idoneos praeceptores optimi patris cura natus est, cuius in se educando fidem atque diligentiam non potest pro dignitate celebrare. Ex his scholis domesticis, quārū iucundissimas sibi Hempelianas fuisse dicit, cum satis profecisse videretur, Misenam adiit, vbi eum Afra, indulgentissima illa tot alumnorum mater et nutrix, finu suo excepit, aluit, fouit. V̄sus est ibi omnibus, qui huic scholae Eleitorali tum praeerant, praeceptoribus, quorum in se erudiendo curam et fidem gratus agnoscit: meminit in primis Cleemannii, qui praeter doctrinam, qua adolescentem egregie adiuuerit, tanto amore tantaque indulgentia eum prosecutus sit, ut quomodo laudare virum eum pro dignitate possit, nesciat. Ex huius enim viri, cui praeter multa alia verum litterarum amorem debeat, praeclara doctrina ita se profecisse sensit, ut posset a. M D C C L X V I I I , sexennio nondum exploeto, hanc studiorum Vniuersitatem adire, cuius ciuem scripsit rector eo tempore Crusius. Hic studiorum suorum hunc fere ordinem tenuit, ut primum philosophiae operam daret duce Cruſio, cui etiam adsedit cum doctrinam morum exponeret, atque profanorum errores confutaret. Gellertum audiuit in Büschingium de liberis educandis, in Battaeum et Stockhausium commentantem, morumque praecepta tradentem: idem quoque, cum ip̄i in exercitationibus scribendi vernaculae lingue studium probasset, autor ei fuit, ut reliquae doctrinae, patrias Musas, perpetuas hilaresque comites adiungeret. Clodium deinceps Garviumque secutus est, scriptoribus veterum graecis et latinis intelligendis. In litteris Hebraicis profecit a Dathio et Thalemanno; a Schmidio in quorundam librorum N. T. interpretatione, atque in scholis quibusdam philosophicis. Boehmio rerum in Europa et Germania gestarum; Sammeto historiae iuris intelligentiam debet. Nec sine fructu adfuit Schwabio, historiam litterariam tradenti; Klauſingio item, qui Anglicae linguae initia proposuit. Quum deinceps seueriori lege proficere vellet, ideoque humaniores litteras amico quodam vinculo cum Theologiae studio coniungere, vberimum illum Ernestianae doctrinae fontem accessit. Hunc virum, optime de se meritum, et in diuinis et in humanis litteris perpetuum si delemque ducem habuit. Huius doctrinae et patrocinio se tam̄ debere fatetur, quantum præterea nemini. Laudat etiam

C

bene-

XVIII

benevolentiam Scharffii; in primis autem scholas Mori, cuius an
bene de se merendi studium, an humanitatem atque amicitiam,
an doctrinae copiam, magis commendet, nescit. Weissi,
viri et morum et doctrinae elegantia inter nostros clari, singula-
rem in se amorem atque benevolentiam cum multis modis intel-
lexit, tum in primis eo, quod sibi semper licuit eius bibliotheca
instruclissima, ut vellet, vii. Istorum virorum omnium insignem
benevolentiam, si non alia re, certe pietate et perenni beneficio-
rum memoria, pensaturum se pollicetur.

IOANNES AVGUSTVS WOLFIVS
NAUNHOFIO MISNICVS.

In huius vita enarranda, ipsius verbis, ut petiit, vtrumur. — Natus
sum Naunhofi, quod est oppidum prope Grimam, anno hu-
iis saeculi L, patre Ioanne Godofredo, viarum publicarum
nunc quidem curatore, matre vero Joanna Dorothea Eccartia.
Qui quidem parentes fidelissimi, quos adhuc superstites ve-
neror, mature me, religionis et literarum elementis eru-
diendum, deduxerunt in ludum patriae, in quo et assidua
Fuhrmanni Cantoris, et accedente subinde Schulzii Pastoris insi-
tutione, profectus feci non plane contempnendos. Haesitanti-
bus autem parentibus, vtrum in tanta tunc omnium rerum, sae-
viente bello, perturbatione, literis vterius vacare me pateren-
tur, an aliud vitae genus ingredi iuberent, ecce, in rem prae-
sentem venit vir de me optime meritus, Albanus, sacris in pago
Beuchaे curandis praefectus; qui cum, aliquoties mei cognosc-
endi opportunitatem naclus, quandam ingenii docilitatem in
me deprehendisse sibi visus esset, non modo, confirmata paren-
tum dubia voluntate, exoptabilis mihi ad persequenda literarum
studia dux et auctor extitit, sed in suam ipsius adeo domum me
sponte lassitudine, ibique liberalissime ac filii loco educatum,
tam sedulo ac fideliter instituit, ut probe praeparatus anno LXII.
inter scholae electoralis Grimenis alumnos recipi possem. Tibi
ex munificentia Principis, per integrum sexennum, praeccepto-
ribus vobis sum dexteris, meique amantissimis, Richtero, Si-
boldo, Genflio, Fritschio, Opitio, Hofmanno, Mückio de-
nique et Krebsio; quorum omnium eti satis laudare nequeo in
me

me insituendo fidem atque diligentiam, Krebsii tamen praecepue, itemque Mückii et Hofmanni singularem erga me benevolentiam quin gratissimo animo praedicare gestiam, non possum mihi temperare. His ducibus fidelissimis curriculum scholasticum emensus, et anno LXVIII, rectore Boehmio, studium academicum hac in vrbe ingressus, hunc mihi tenendum studiorum cursum, auctoritate grauissimorum virorum praescriptum constitui, ut Theologiae rite addiscendae, et idoneam Philosophiae cognitionem praemitterem, et accuratam literarum humaniorum tractationem, assiduam veluti comitem, sedulo adiungerem. Qua quidem mente doctorem secutus sum in Philosophia vniuersa Winklerum; in exercitationibus dialecticis eundem et Seydilium; in Mathefi, Heinium; in doctrina morum Gellertum, quem et in aliis preelectionibus cupide audiui. In colendis autem literis humanioribus auditor adfui Clodio, selectiora poetarum latinorum loça, nec non insigniores Ciceronis et Plinii epistles explicanti; Eckio historiam literariam exponenti; Moro, Homerum alioque scriptores graecos interpretanti; Ernestio Eloqu. Prof. alii quoque modis praecclare de me merito, Virgilii Aeneida et Ciceronis orationes illustranti, nec minus latine scribendi et disputandi exercitationes regenti; Belio super Horatii carminibus commentanti; Burschero denique historiam catholicam ac philosophicam edifferenti. Quaecunque autem ab his doctoribus in artibus, ad humanitatem pertinentibus, singulatim profeci, eorum veluti summam in scholis S. V. Ernestii cognoscere mihi contigit, a quo antiquitates Romanas, archaeologiam literariam, preecepta eloquentiae, Ciceronis in Verrem orationum interpretationem, atque historiam vniuersam, cum summa discendi voluptate percepi. Iam quod literarum sacrarum studia attinet, harum quoque notitiam eiusdem Ernestii disciplinae maxime debo, quem, siue religionis capita doceret, siue leges interpretandi scripturam sacram traderet, aptumque earum usum explicandis N. T. libris ostenderet, siue sacram denique historiam enarraret, assidue audiendum putau. Neque tamen alios rerum sacrarum doctores neglexi; etiam horum preelectionibus non sine fructu interfui. Et Crusium quidem accessi hymnos Davidis enucleantem, et profanorum errores refutantem; Stemlero

ad sui tentamina theologia pariter ac homileticas exercitationes
instituenti; Bahrdtio ad sedi de moribus, duce scriptura, praeci-
pienti; Richterum audiui, super Euangelio Mathaei commen-
tantem, artisque pro concione dicendi praecepta proponentem;
Dathium et Bosseckium fecutus sum ad libros V. T. rite intelli-
gendorum; Hennigii denique, (nunc ad Gymnasium Thorunense
Professoris, multis mihi nominibus colendi), lectionibus exege-
tico-homileticis interesse non dubitau. Horum igitur docto-
rum omnium vti praeclara de me, rebus utrissimum instituendo,
merita, laetabundus celebro, et gratissima semper memoria cultu-
rum me profiteor; ita non minus obstricta piaque mente praed-
*dico eximiam aliorum Patronorum benignitatem, mirificam stu-
diorum meorum, praeter electoralis stipendii subsidia, hucusque
adiutricem, praecipue vero insignem liberalitatem S. V. Ernestii,
cuius honorifica auctoritate, praeter alia beneficia, exoptabilis
mihi quoque felicitas contigit, innotescendi Exper. Pohlio, in
cuius domo, qualemcumque meam filiorum studiis iuuandi ope-
ram, tot tamque luculenta fauoris et beneficentiae in dies ornant
documenta, vt nec numerando percensere, nec praedicando
assequi pro dignitate possim.

CAROLVS FRIDERICVS LOHDIVS
GRÜNBERGA MISNICVS.

Hunc pater, Carolus Godofredus A. M et V. D. M. ex coniuge
Sophia Maria Manitia, a huius aetatis X L I X. suscepit. Hoc
cito orbatus, venit in tutelam Himmeli A. M. sacra Beerwaldae cu-
rantis, cui ob vere paternam atque indefessam curam, neque sat dignas
gratias habere se posse fatetur, tantum abest ut reddere umquam
posse putet. Huius confilio Grimam petuit, traditus institutioni
Giesmanni, quam grata memoria recolit; Schmothera autem, matro-
na omnibus sui sexus decoris conspicua, alimentorum et reliquae
educationis curam habuit. Mox inter scholae electoralis alumnos
recepitus anno L XI, Krebsio in primis et Mükio, doctoribus profe-
cit, quos igitur de se immortaliter meritos profitetur. Ad hanc
studiorum Vniuersitatem accessit anno L X V I I I . Boehmio re-
store. Oris a studio linguarum, latinis scriptoribus intelligenti-
dis

dis Ernestiorum, Graecis Mori, hebraicis Dathii, Schmidii, et Crucis scholas adiuit. Historiam omnem Ernestius atque Burscherus docuerunt: philosophiam Seydlieus: mathesim Bortzius. Inde ad Theologiae studium conuersus, dedit operam Ernestio, siue interpretandi artem ille, siue Libros N. F. illustraret, seu denique ipsa sacerorum dogmata edissereret. Moralis Theologiae doctorem habuit Bahrdtium, et, qui tentaminibus in omni theologia profectus exploraret, Stemlerum. Subinde itauit ad Schottum, Iustiniani Institutionibus cognoscendis; nec non ad Platnerum, cum iste anthropologicas lectiones haberet. Etiam Gellerto usus est, et Clodio: illo doctrinae moralis causa; hoc, ut latinos scriprotes apte exprimere sermone germanico disceret. Scribendi facultatem ab Ernestio, a Seydlitio differendi promitudinem didicit. Toto vitae academicae tempore patrocinio Ernestii, qui consiliis et re adiuvuerit, Kindii Doctoris, et Prof. Ludouicii, ita gauisum se esse fatetur, ut istorum benevolentiae atque liberalitati animum a curis vacuum vnicce debeat.

IOHANNES FRIDERICVS LYSIVS
VOIGTSTADIO MANSFELDIVS.

Natus anno M D C C X L V I I I . patre Friderico Augusto A. M. qui sacris praeerat Voigtstadii, vico Comitatus Mansfeldici; matre Amalia Wilhelmina Hichtelia. Patrem cum puer triennis amississet, ab suo materno educatus fuit deinceps, a quo pietatis et virtutis amore, sed etiam primis litteris imbutus est. Et hoc deinceps rebus humanis exempto, traditus est in disciplinam Gebhardo, ad aedem Petri et Pauli Islebiae custodi, e qua, natus annos vndeциim, in Gymnasium eius vrbis transiit, cuius praecceptores laudat Dienemannum, Kellnerum, Albertum, Behrium, Helmboldum, Matthaeum, praeclare de le meritos. Inde ad nos accessit anno L X V I I I . Boehmio rectore. Rationem studiorum, ait, ab Seydlitio praescripsi tam sibi fuisse, de quo vehementer laetatur. Igitur confestim, hoc ipso duce, Logicen et Metaphysicen didicit. Crucis deinceps, in omni theologia, vnicce selectus est; nisi quod Stemlero Iosuam interpretanti, et sacerorum dogmata proponenti, adfuit. Ad Ernestium itauit, cum is inter-

pretationem N. F. historiam catholicam et sacrorum, epistolarum item Paullinarum rationem, doceret: reliqua historiae copita a Burschero didicit. De morum doctrina praecepientem Gellertum audiuit; hebraica haust ex ore Bossekii et Scharfenbergii. Moro, cuius celebrat humanitatem atque benevolentiam, Iacobi epistolas aliquot Paullinas, et Homeris Iliada explicanti, adsedit. Huic etiam in acceptis refert, si quam differendi scribendique facilitatem habeat. Matheos descendae causa adiit Bortzium ex Garium. Canonicum ius didicit in scholis Hommelii, in Schmidianis quaedam philologiae capita. Iстis doctoribus omnibus, egregie de se meritis, testatur animum gratissimum; eundem ex patronis, quorum beneficiis et liberalitate factum sit, ut, quam mors patris minaretur, et vero attulisset etiam, egestatem, ipse non sentiret. Atque hoc refert quae cognatis debet, quae Islebiensibus, Doeblio et Klungero, Treutschiae familiae hic Lipsiae, Friderico, item Islebiensi antifili. Iстorum beneficiorum omnium gratissimam memoriam se seruaturum spondet,

HENRICVS ADOLPHVS SEGER
KNOBELSDÖRFIO MISNICVS.

Hic de vita et studiis, rebusque ad se pertinentibus, ita ad me scriptis:— Natus sum anno M D C C L I, d. xiv. Ian. in pago quodam, cui nomen est Knobelsdorffio, prope Doebelam posito. Patre vsus sum Carolo Christophoro, Auclamensi, qui sacris istius loci praefuit. Matrem veneror Sophiam Margaretham Tolleniam, et ipsam Knobelsdorffio oriundam. Elias enim pater eodem in munere meum antecelerat. Cui viduae fene-
scenti, multorumque liberorum parenti fidelissimae, vt concedat Deus tranquillam viridemque senectutem, ipsique addat annos marito negatos, vt videat quam diutissime piorum liberorum obser-
vantiam, et audiat etiam minimos natu filios vltima vota patris exple-
visse, et meo et omnium meorum nomine vehementer opto. Primum
praeceptorem habui, qui fundamenta iaceret latinarum et graeca-
rum litterarum Tzschirichium, qui tunc in villa Zogra, Knobelsdorffio proxima, sacra administrabat, nunc autem inter sacerdotes oppidi
Leisnigii secundum locum obtinet. Qui cum et ardentissimo amici-
tiae

tiae vinculo cum patre coniunctus esset, et factus etiam ad pueros instituendos videretur, summam operam in me fratribusque meis docendis nauauit, ut eius scholas gratus saepissime in animum reuocem. Hunc sequutus est Wichmannus, quem pater domesticum ducem et moderatorem praefecit formandis edocendisque pueris. Is postea ad sacerdotis munus in duobus pagis propter Ienam, quorum Zwaenzeno vni, alteri Lobstetto nomen haeret, obeundum vocatus est. Cuius quidem magistri fidelitatem summam, eximiamque dexteritatem in erudiendo effingendoque puerili animo, satis laudare non possum. Post huius discessum abiit pater denuo Zigram, et eius loci sacerdoti, Wimmero, nostra studia commendauit. Successerat hic Tzschirichio Leisnigium vocato, et cum patre quidem meo arquissimam amicitiam constituit, adeo ut mox sororem meam duceret, cum qua etiam paullo post, suffectus in socii defuncti locum, transit in aedes Knobelsdorffianas, ibique coniunctissime vivit. Cuius affinis mihi charissimi merita, erga me et studia numquam ex animo dimittam. Maturus eram illustriori scholae, quum repente acerbissimum luctum habui ex obitu patris, qui anno M D C C L X V . extremo accidit. Qui casus etsi non nihil morari velle videretur studia mea, meliorem tamen exitum habuit quam putaram. Prospexerat enim Deus tantae calamitati, et fratrem maiorem euixerat in solatium matris auxiliumque suorum. Hic accepto de patris morte nuntio, aduolat, matrique afflictae et inopi consilio succurrit, atque se nunc patris loco futurum promittit; quod etiam ita fecit, ut eum non dicam fratrem amare, sed alterum parentem reuereri debeam. Atque effunderem hoc loco gratissimos pectoris sensus, nisi peccarem in viri modestiam. Id vnum addo, esse quandam infixam medullis meis cupiditatem ei placendi, qui exemplum dedit fraterni amoris. Et me quidem anno post rediens ipse Lipsiam secum abduxit. Vbi cum assiduus mihi dux vitae et auctor studiorum fortunarumque omnium fuerit, ut, cui plus debeam habeam neminem, laetor etiam nunc non vulgariter eo, me ipso tempore primos in Academia honores capessere, quo ille gubernacula teneat. Mens erat fratri, mittendi me in ludum Thomanum; sed cum sciret eo loco Graecas litteras in primis tractari, elegit Reizium, qui me pararet, cuiusque tum institutione insigni cum fructu vesus.

XXIV

sum. Itaui post, per duos annos, in ludum Thomanum, habuique in eo tres Praeceptores fidelissimos omnes, Fischerum, Thiemium, Hofmannum. Quos viros omnes, ut doctrinae beneficio, quo me iis totum obstrictum esse sentio, adiectam illam benevolentiam et amorem conseruare mihi velint, vnicce obtestor. Relicta schola Thomana, receptus in numerum ciuium academicorum anno M D C C L X I X . rectore Plazio, tractavi studia humanitatis omnis, ducibus Ernestiis, Platnero, Reizio, Mero, Cladio, et Loesnero. Philosophiae operam dedi apud Winklerum. Antiquos autem philosophos explicanti adsedi Gario. Historiae et veteris et recentioris expositores habui Ernestium maiorem, et Boehlimum. In iurisprudentia perdiscreta, cui me dicau, scholas frequentaui primum Cleemanni, deinde Sammeti, post Geisleri, nunc denique Schotti. Atque horum quidem omnium facultatem expertus sum non nisi in iure ciuili, in quo uno mea adhuc opera versata est.

Aug VI 57(1)



3


f

-IA-70

nur 4. Stk verknüpft

Retro





17

LUXVM GERMANORVM

XIII. PHILOSOPHIAE ET ARTIVM CANDIDATIS
QVI MAGISTRI RENVNTIANTVR

RECTORE MAGNIFICO

D. IOHANNE THEOPHILO SEGERO
SVPR. IN PROVINC. CVRIAET COLLEG. IVRIDICI
ASSESSORE INSTITVTIONVM IVSTINIANEARVM
PROF. PVBL. ORDIN.

PROCANCELLARIO

GEORGIO HENRICO BORTZIO
MATHEMATIVM PROF. PVBL. ORDIN. COLLEG.
B. MARIAE VIRG. SODALI

DECANO

HENRICO GOTTLIEB FRANCKIO
PHIL. ET I. V. D. SACR. PALAT. COM. MOR. ET POLITICES
PROF. PVBL. ORDINAR. IVRIS PVBLICI EXTRAORDIN.

SOLEMNI CARMINE PROPONIT

CAROLVS ANDREAS BEL D.

D. V. MARTII A. C. N. CICIOCCCLXXII.

LIPSIAE
EX OFFICINA BÜSCHELIA.In Augment
obtulit A
177